

## DER HL. BERNHARD VON CLAIRVAUX ÜBER DIE MISSIONS-PFLICHT DES PAPSTES!

Recordare illius vocis: Sapientibus et insipientibus debitor sum. Ergo si te agnoscis sapientibus et insipientibus non dominatorem, sed debitorem, curandum summopere tibi et tota vigilantia considerandum quomodo et qui non sapiunt sapiant, et qui sapiunt non desipient. At nullum genus insipientiae infidelitate, ut sic loquar, insipientius est. Ergo et *infidelibus debitor es, Judaeis, Graecis [al. omit. Graecis] et Gentibus.* Interest proinde tua, dare operam quam possis, *ut increduli convertantur ad fidem, conversi non avertantur*, aversi revertantur: porro *perversi ordinentur ad rectitudinem, subversi ad veritatem revocentur: subversores invictis rationibus convincantur, ut vel emendentur ipsi, si fieri potest; vel si non, perdant auctoritatem facultatemque alios subvertendi. Non omnino et ab hoc insipientium genere pessimo tibi dissimulandum. Dico autem haereticos schismaticosque: nam hi sunt subversi, et subversores; canes ad scissionem, vulpes ad fraudem. Erunt, inquam, hujusmodi maxime tuo studio aut corrigendi, ne pereant; aut ne perimant, coercendi. Esto, de *Judaeis excusat te tempus: habent terminum suum qui præveniri [al., praeteriri] non poterit. Plenitudinem gentium præire oportet.* Sed de ipsis gentibus quid respondes? Imo quid tua consideratio respondeat tibi percunctanti sic? Quid visum est patribus ponere metam Evangelio, verbum suspendere fidei, donec infidelitas durat? Qua ratione, putamus, substitut velociter currens sermo? (Psal. CXLVII, 15.) quis primus inhibuit hunc salutarem cursum? Et illis causa forte quam nescimus, aut necessitas potuit obstitisse.*

Nobis quae dissimulandi ratio est? Qua fiducia, qua conscientia Christum non vel offerimus eis qui non habent? An veritatem Dei in injustitia detinemus? Et quidem quandoque perveniat *gentium plenitudo* necesse est. Exspectamus ut in eas incidat fides? Cui credere casu contigit? *Quomodo credent sine praedicante?* (Rom. X, 14.) Petrus ad Cornelium, Philippus ad eunuchum missi sunt (Act. X, 20, et VIII, 26), et, si exemplum recentius quaeremus, Augustinus a beato Gregorio destinatus, formam fidei tradidit Anglis<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> *De consideratione Liber III, caput 1, 2—4 (MIGNE, PL 182, col. 759 s)*